49053/P

55151

DISSERTATIO MEDICA

DE ABORTU.

Quam, Deo duce, tueri conabitur, in auguſtiſſimo Ludoviceo Monſpelienſi, Joannes-Petrus Soulhac, ex urbe Saint-Céré, in partitione dictâ *du Lot*, Artium Liberalium magiſter, jamdudùm medicinæ Alumnus.

Argumentantibus illuſtriſſimis Profeſſoribus regiis; D. P. J. BARTHEZ, univerſitatis cancellario; G. RENÉ, decano; A. GOUAN, pro decano; F. BROUSSONET; H. L. BRUN; H. FOUQUET; J. B. T. BAUMES.

Pro baccalaureatus gradu conſequendo.

Elles ne peuvent donner la vie ſans s'expoſer à la perdre.

J. J. Rousseau.

MONSPELII,

Ex Typis TOURNEL, patris & filii, Univerſitatis medicinæ Typographorum & Bibliopolarum.

1792.

MARIÆ LESPINAS,

MATRI DILECTISSIMÆ.

LUDOVICO LESPINAS,

AVUNCULO,

IN SORBONA BACCALAUREO ET SANCTI-LAURENTII ANIMARUM RECTORI.

PETRO LESPINAS,

AVUNCULO,

DOCTORI MEDICO MONSPELIENSI.

CÆTERISQUE PARENTIBUS,

Suam theſim, in æternum reverentiæ amoris, gratitudinis monumentum,

D· V. C.

PETRUS SOULHAC,
Filius & Nepos.

DISSERTATIO MEDICA

DE ABORTU.

PRIUSQUAM de abortione agatur, liceat pauca loqui de ſexû cui ferenda abortio, hiſquè laborum primitiis intuitu dextro favete, patres. Hominis ſocia, hominis ſolatio, hominis levamen in laboribus & curis, ecce mulier. Ubique ſimilitudines, & ubique diſſimilitudines habent. Similitudo ſpeciei, diſſimilitudo ſexui attinet. Ad favendum magnis naturæ finibus, poſteritatem appetentis, ambo deſtinati. Cùm neceſſe ſit hominem mori, regenerari pariter neceſſe, ut ſpecies non extinguatur, mundiquè ſervetur ordo, quapropter alter alteri neceſſarius. Nempè ex mixto ſemine paterno maternoquè

gignuntur animalia omnia, imò etiamque androginis ad generationem ſimilis ſemper opus.

Non aliter reſultare vita valet, neque ex chimicorum compoſitis, uti ferunt. Ideò concipit mulier, prægnat mulier, paret mulier. Sicut aït poëta :

« C'eſt la forge où la nature
» Fabrique le genre humain. »

Miſera autem quantùm patitur! eam vix attigit ætarem, quâ perceptiones animus, ſenſus cor accipit, quâ tandem in mundo morali pes ponitur, ecce adſunt evacuationes, periculi plenæ, modò ſuppreſſione, modò minutione crudeles : graviditas & partus, undè calamitas & dolor : membra delicatula quandòque mutilata temeraria manu (1) : tandem abortio, de quâ hic agendum. En quæ mala cum millenis mulieres obſident (2). Ut iſta feratur ma-

(1) Il y a beauoup de maladies, dit *Boërhaave*, qui viennent de l'imprudence de l'accoucheuſe. M. de *Lametrie* ſon commentateur, ajoute qu'il vaudroit mieux pour les femmes qu'il n'y eût point d'accoucheuſes. Elles n'attendent pas le temps de la nature ; elles déchirent l'œuf, & arrachent l'enfant avant que la mère ait de vraies douleurs.

(2) Quand je vois tant de ſcènes de douleurs ſur le théâtre où joue l'eſpèce humaine, je crois que ſa deſtination eſt pour une meilleure vie. Ses misères, ſes peines, dit M. *Loaiſel de Tréogate*, ſont le choc d'une main inviſible qui la pouſſe vers ſon azile primitif ; tout cela démontre que la vie eſt pour l'homme un état violent dont il brûle de ſortir, & qu'elle n'eſt pas ſon état naturel.

ſorum moles, maxima requiritur robuſticitas, & tu, mulier, tota infirma.

Tota equidem fœmina debilitatis imago. Evidens ex eo quòd fertilitatem ſuam ultrà minùs tempus mulieri quam viro fas ſit, quòd in illâ pulsus minor (1), potentia motrix minor (2), oſſibus durities minor (3). Mulieri vox acuta; mentum imberbe; coma mollis ac flexibilis, ſignum temperamenti laxi (4); tenuiores ac rariores pili, qui in viro ut pote roboris signa, rigidi denſiquè creſcunt; facilis ac ſubitus timor in minimo caſu, animi defectus in re vel minimum arduâ, timiditas (5), mobilitas (6), humiditas (7), ſenſibilitas, hæc virium infirmitatem nonne loquuntur?

Patet etiam in colore albo, ſtatu in muliere morboſo (8); ex vitâ ſedentariâ (9) ac deſidiosâ

(1) *Bordeu*, recherches ſur le pouls.

(2) *Sauvages.*

(3) *Bordeu*, du tissu muqueux.

(4) *Goguet*, in lectionibus.

(5) « La cruauté marche avec la force, & la timi-» dité eſt le partage de la foibleſſe. » Inquit *Rouſſel*, ſyſtême de la femme.

(6) « Elle eſt plus mobile que capable de mouvoir, dit encore *Rouſſel.* »

(7) L'humide domine chez la femme, ex *Hippocrate.*

(8) *Chaptal*, *Dorthès.*

(9) Les femmes, dit *Tiſſot*, ſont trop attachées à leurs appartemens; elles ſont privées de cet air agité, qui eſt une des grandes cauſes de la force & de la ſanté.

naſcente. Ens enim robuſtum alium habet colorem ratione aeris ac laboris. Sic planta aëri poſita, gemmat, frondet, floret, luce verò vidua (1) languet, marcet, perit.

Mulierem variore ac molliore carne eſſe quam virum cenſuit *Hippocrates*. Poſſum item meritò his animalibus comparare domeſticis quæ carnem habent mollem, expanſam ac magis celluloſam, quam alia quorum motus velociores ſunt. *Baglivius* enim reſectas carnes leporis, cervi, duriores invenit. Tandem vis privationem patefacit fœmina, cùm tam facilè doleat, tam citò affligetur ac tabeſcat. Ei vel leviſſimus in vitâ eventus inſtar ſupplicii eſt. Statim in illâ erumpit dolor in lacrymas: ſilet, ſtupet in viro. Hiſce duntaxat temperat fletibus, queis temperare cogitur homo, cui non eſt circà cor involucrum metallicum; nequè ſunt muliebres lacrymæ, quales juniori *Cæſari* ceciderunt *Alexaudri* ſtatuæ ſtanti pedibus. Hæc infirma mulierum habitudo venit ab ipsâ muliere, nempè ab ipſius vitâ inactivâ. Eis igitur quam maximè neceſſaria exercitatio; verùm auxilium illud tollit præſens educandi ratio, & ægrotat ſexus amabilior.

Exercitium ab antiquis remedium calidum &

(1) L'air immobile eſt aux animaux & aux plantes, ce que l'eau bourbeuſe des marais eſt aux poiſſons faits pour vivre dans la rivière. *Tiſſot*.

ſiccum, ab *Hippocrate* corroborans. Circulationis vim adjuvat, & vi ordinatâ circulationis pendet ſanitas (1). Quantùm ad robur & ſanitatem corporis conferat innumera probant rerum experimenta: ſic cenſuit Genevenſis quò magis exerceri corpus eò magis creſcere vires (2). Silveſtris firmâ ſanitate gaudens, continuò movetur (3). Apud Thraces robuſticitate inſignes, agros colebant ſolæ mulieres (4). Apud Sarmates validos, militant, equitant, ſagittant [5]. Apud inſulas baleares jentaculum ab alto fundâ deturbare ſolent pueri: tandem apud romanos major de otio, minor de hoſte metus (6). Ignavia, ait *Celſus*, corpus hebetat, labor firmat: aliundè *Galenus* obſervat

---

(1) *Tiſſot*, maladies des gens du monde.

(2) *Rouſſeau* faiſoit diſputer à Sophie le prix de la courſe avec Emile.

(3) Durant l'enfance des ſauvages, dit le ſieur *Lebeau*, on les voit toujours occupés à des jeux qui agitent le corps.

(4) M. *Boulanger*. L'antiquité dévoilée par ſes uſages.

(5) Elles n'ont le droit de ſe marier qu'après avoir terraſſé trois ennemis.

(6) *Publius Naſica*, ſans beſoin, fit conſtruire une armée navale à ſes ſoldats. *Marius*, pour battre les Cimbres, emploie d'abord les ſiens à détourner les fleuves. Des hommes endurcis de la ſorte, êtoient forts, & périſſoient peu par les maladies. — C'eſt avec de tels hommes qu'*Annibal* franchit les Alpes.

mulieres otio degentes affectionibus ſpaſmodicis obnoxias eſſe, & nos naſci exercitii amantes idem dixit. Quem autem fugit levem motum ſolari pueros in cunis ?

Revigeat igitur modus inſtituendi virgines ut viros : lætè viri aſſentient. Moveantur moderatè : nimiâ autem exercitatione non indurari ſuadeo, ſed ad exercitium jucundius, quod nulla ſubſequitur defatigatio, invitaverim, haud inſcius quamdam debilitatem ſexui naturalem ac neceſſariam. « Les fibres » des femmes, dit *Tiſſot*, deſtinées à céder quand » le volume de l'enfant les tendra, doivent être » moins fortes, plus lâches que celles des hom» mes ». Il eſt certain, dit M. *Rouſſel*, que le » ſexe de la femme l'aſſujettit à des révolutions, » qui peut-être bouleverſeroient tous ſes organes, » s'ils offroient une forte réſiſtance, & ſi la force » eſt eſſentielle à l'homme, il ſemble qu'une cer» taine foibleſſe concoure à la perfection de la » femme. » Equitent ; ſanguinem enim ſpirituſvè firmat equitatio ; chloroticas equo vehi jubet *Chambon.* Saltent : jucunda enim mulieribus ſaltatio, chloroticis ſaluberrima, ut vidit *Baglivius.* Caſtæ maneant junioribus annis (1) : manuſtrupatione ab-

(1) C'eſt à la chaſteté que tiennent la ſanté, la force, le courage de l'homme. Tant que le corps croit, il a beſoin de ſa ſubſtance, & on ne le fraude guère qu'aux

horreant (1) : caveant, ut *Celſus* loquitur, ne in ſecundâ valetudine, adverſæ præſidia conſumantur. Item monaſteria fugiant (2). Sic mater robuſta robuſtum facit infantem, ſic non ægra prægnando : prægnatio enim non morbus ; ſed ægra abortiendo. Itaque

De abortu.

Abortus, deperditio dictus ab *Hippocrate*, quia fœtus vel expellitur mortuus vel expulſus brevi moritur, variè nominatur prout propior vel longior à partu. Quem, ſi fiat paucis à conceptu diebus,

---

dépends de ſa conſtitution. Chez les Germains, ſi l'on perdoit ſa virginité avant vingt ans, l'on reſtoit diffamé. C'eſt de la continence de ce peuple que lui viennent & la vigueur de ſa conſtitution & la multitude de ſes enfans.

(1) *Hippocrate* regardoit la ſemence dans l'homme & la femme, comme un extrait de toutes les parties du corps.

Son excrétion, par la maſturbation, ramollit. Les filles qui y ſont ſujettes ſont dans un état de relâchement. Elles ont, après le repas, des gonflemens d'eſtomac ; leurs mammelles ſont molles.

(2) Elles ne ſont pas faites pour être tenues enfermées. « L'eſpèce humaine, dit *Jean-Jacques*, eſt celle » qui peut le moins vivre en troupeaux. Des hommes » entaſſés comme des moutons périroient en très-peu » de temps. »

effluxionem appellant cum clariſſimo *Sauvages* ; & abortum, ſi ante ſeptimum menſem expulſus ſit fœtus ; eo quòd nunquam tunc vivus foras ſuperſit. Dicitur etiam præmaturus partus, quandò vivat fœtus ſeptimeſter. Nos autem, ablatâ diſtinctione, abortum definire juvat excluſionem fœtus ſive vivi ſive mortui, antequam debitam accretionem in utero attigerit. Sic definiunt *Aſtruc*, *Riviere*, *Home*.

Quocumque graviditatis tempore contingit abortio, verùm frequentiùs tertio, quarto menſe. Ratio eſt quia, menſtruis ſuppreſſis, tunc uteri & placentæ vaſa, humorum copiâ quam ad nutritionem copioſiore diſtenduntur ; quam, veluti abortionis cauſam, dare videtur *Levret*, annotans, maximè obnoxias abortui gravidas eſſe, eo menſis tempore quo purgationes menſtruæ apparere ſolebant : probat & hiſtoria, à *Riverio* notata, mulieris Monſpelienſis, cui ſingulis menſibus, periodicè redibant aborsûs ſymptomata.

Stupeo tantâ cauſarum multitudine, abortum inducere potentium : aliæ internæ, aliæ externæ. Hæc fœtum enecat, cibum illius ſubtrahit illa, alteraquè acetabula diſſolvit, quibus utero alligatur. Præcipuas autem recenſere ſufficiet. Facit abortum ſanguis copioſior, fœtum ſuffocans ſimùlque elidens. Idem fit alimento non ſufficiente, ut inediâ, ſivè voluntariâ ſivè coactâ, ut cum gravidæ omnem

cibum averſantur, vel vomitu rejiciunt, diætâ in acutis, immodicâ plebotomiâ, ſanguinis & evacuatione immodicâ per nares, hæmorrhoïdes, uterum; undè *Hippocrates* « mulieris utero gerentis ſi » alvus multum fluat, periculum eſt ne abortiat. » Abortio contingere poteſt ratione fœtûs, ſi nimis grandis ut propter molem uterus continere nequeat, ſi à quâcumque causâ moriatur: (namque licèt quidam caſus rari contigerint ut in utero maneret mortuus per menſes & annos, tamen utplurimùm expelli ſolet). Denique ſi ſint numero plures. Ratione uteri, ſi non ſit ſatis amplus & capax, ſi ſit humidior & laxior, ſi aliquid præter naturam in illius cavo ſuccreverit ut inſtammatio, tumor ſquirroſus, abſceſſus, &c. ratione funiculi umbilicalis, qui ſi brevior, periculum eſt ne per motum fœtûs placenta ab utero ſeparetur; qui ſi longior, ne collo aut artubus circumvolvi poſſit: tandem ſi nodo fortiter conſtringi accidat, ſicquè fœtum inter & matrem commercium intercipiatur. Ratione morborum matris, præcipuè in dyſenteriâ & teneſmo: » mulieri, aït *Hippocrates*, utero gerenti ſi ſuperveniat teneſmus, abortum facit. » Aliunde cum morbi fœtui communicantur; quales ſunt febres continuæ & intermittentes, lues veneræa in quâ fræquentior abortus, & alii complures. Dolores partium fixi, quales colici nephretici, aborſum excitant. Ideò purgantia acriora, hiſterica, emme-

nagoga, & aliis hujuſmodi à ſceleſtis mulieribus uſurpata, quæ vel uterum, vel vicinas utero partes afficiunt, & in contractionem validam ſtimulant, meritò in cauſis annumerantur. Fit vomitu & tuſſi; verùm in illâ ſæpiùs juxtà *Levret* : « ſiquidem, » inquit, vomitus ſursùm in inſpirando fit à con» tractione ubique æquali ; per tuſſim verò in expi» ratione plurimi ac repetiti concuſſus in uterum » inferuntur. » A venere nimiâ ſequitur abortus. Ira, metus, triſtitia, gaudium, convulſio procreant, ſicut fœtidi odores, præcipuè fumus extinctæ lucernæ (1). Nec prætermittenda partis inferioris abdominis percuſſio : uterus enim contento fœtu turgens anteriorem abdominis partem occupat; & gravi percuſſione, non ſolùm chorii & placentæ nexus deſtrui poteſt, ſed & ipſe uterus findi, quod ſæpiùs obſervârunt; propriam ſororem, ultimo graviditatis menſe prolapſam, tumente abdomine humo impacto, perire refert *Mauriceau*, ſequente validâ hemmorragiâ, & poſt maximos dolores. Aſt omnium potentiſſima cauſa eſt, quæ uteri acetabula diſſolvit ac proinde hæmorragiam promovet : qualia exercitatio vehemens, ſaltatio, curſus, vectio durior, oneris geſtatio. Præter cauſas ſuprà enarratas juxtà *Hippocratem*, aphor. XII, lib. III. Si hyems auſtralis & pluvioſa, ver autem ſiccum, aquilonium; mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex

(1) *Pline.*

quâcumque occaſione abortiunt ; quæ verò pariunt, imbecilles & morbidos infantes pariunt.

Præſente abortu per ſe ſatis manifeſto, duntaxat exponenda veniunt ſigna futurum demonſtrantia: coxarum gravitas inſolita ; lumborum, abdominis dolores : inappetentia : ad motum ſegnities : frigus : cordis palpitatio : in pulſu velocitas : rigor aut horror per vices excurrens ; triſtitia & lipothymia.

Fluxus lacteus ſanguineuſquè exoritur extremitatibus vaſorum lacteorum nec-non venarum cecalium dilaceratis. Prætereà tamen non in omni uteri hæmorragiâ aborsûs periculum, ſiquidem in gravidis aliquoties familiare, ut ſanguinis aliqua copia ſimili periodo prodeat, quâ menſtrua, iiſdem non gravidis, prodire ſolebant : quem ſanguinem non ex uteri cavo, ſed ex vaſis vaginæ vel externæ ſuperficiei colli uteri fluere noſcitur. Nemini mehercule latet, eſſe commercium illud mammas inter & uterum, ut tumeſcente alio aliæ tumeant ; ſignificabitur ergò abortus, ſi ſubitò flacceſcant : undè *Hippocrates* mulieri utero gerenti ſi mammæ graciles repentè fiant, abortit. Si fluat lac è mammis, ſi venter lateribus extenuetur, ſi dolores continui versùs pubem & os ſacrum exporrigantur, ſi ſanguis vel aqua vel fœtida materies exeat utero, ſi demùm fœtûs mors ſingulis nuntietur ſymptomatibus, aborſum ſuſpicabimur, & nihil in abortu proximo dubii, ſi inhiet uteri orificium.

Ex abortu imminet haud dubiò periculum, præſertim producto à causâ violentiſſimâ, vel provocato à ſceleſtis. Tùnc vitæ diſcrimen adire obſervat *Mauriceau*, ſi decumbentes febre continuâ abortum patiantur & imprimis ſi pectus ſimùl afficiatur. Ultimis graviditatis menſibus contingens abortio, periculoſiſſima; ſiquidem videre eſt ex clar. *Puzos* obſervationibus, rarò ex abortu perire gravidas ſi quartum vel quintum menſem non ſuperaverint, plurimas autem perire quæ ſeptimo & octavo abortiunt. Primo, ſecundo menſe fit nullo dolore vel parvo, nullâ hæmorragiâ vel parvâ : patet ratio; quòd infirmioribus vinculis quibus utero fœtus alligatur facilè divulſis, lubricè cum fluxu ſanguineo unà effluat, nullis vel pauciſſimis apertis venis cecalibus. Talem fœtum hinc egregiè comparat *Galenus* fructibus ab arbore pendentibus qui in ortûs ſui principio tenerrimos habent pediculos, ut facile à vento aut quâvis aliâ commotione excuti poſſint. A cauſis externis violentioribus, putâ ictu, caſu & ſimilibus, ſtatim, ait *Hippocrates*, vel ſaltem eâdem die ſequitur aborſus : ſi verò minor fuerit vis cauſæ externæ, ad tertium diem differri poteſt, quo elapſo ceſſat aborſus periculum. Magîs ex oborſu periclitari mulieres quam ex maturo partu patebit, ſi attendamus vaſa & ligamenta ſponte laxari & ſolvi in partu : uteri orificium molle fieri grandiuſculi conatibus infantis : contrà verò abrumpi ligamenta neceſſe eſſe in abortu:

placentam, ut pote majorem in abortivo, difficiliùs educi, nec-non difficillimam ſecundinarum eductionem. Aborſus etiam in primiparâ periculoſior, quia inaſſueta doloribus & vias habet anguſtiores. Præter hæc, pendent ex abortu innumera mala: quam plurimæ ſteriles evadunt, & ſolent ſequi ulcera, inflammatio uteri, inſignes hæmorragiæ, convulſiones ex *Hippocrate* & *Aretæo* lethales.

Hiſtoria morbi jam ſatis dilucidatâ nunc inſtituatur illius curatio. Hanc autem totam ponimus in præcavendo aut excitando aborſu. Si, à causâ tùm internâ tùm externâ immineat fœtûs excluſio, ſummam quietem tùm corporis tùm animi impero, & venæ ſectionem, ſi mulier fuerit plethorica. Equidem ut quies ſummoperè neceſſaria ſi ex animi affectibus aut corporis contingat abortus, ſic ſi à plethorâ timeatur, præcavere potens venæ-ſectio, imò & impedire. Adhibeo aſtringentia ſi parvus ſit ſanguinis fluxus, quæ, ſoluto placentæ nexu, omninò inutilia. Hæc autem ſi locum habeant, aſſumantur intùs pulveres, boli aſtringentes; exteriùs etiàm adhiberi poterunt fotus & cataplaſmata umbilico & renibus applicata. In compeſcendis hæmorragiis plurimùm valere opiata multi aſſerunt, & hæc motum ſanguinis circulatorium retardare deprehendit *Alſton*. Alii etiam peſſaria commendant. At verò talibus adhibitis, jamquè remoto periculo, ſæpiùs accidit recrudeſcere hæmorragiam, ſuppreſſam ſolum-

modò thrombis coagulati ſanguinis vaſa patula obturantibus ; quod vidit *Puzos*. Etenim aſſerit *Aſtruc* placentam ſeparatam nunquam conglutinari. Itaquè nè renaſcatur ſanguinis fluxus ; mater indulgeat quieti, abſtineat venere, vitet animi pathemata. Aſt ſi his omnibus nihil proficiatur, ſi ſanguis pleno rivo exeat ; ſuperveniant ſyncope, convulſiones, frigeant exttemitates, illicò abſtrahendus fœtus, cùm certum ſit tandiù durare hæmorragiam quandiù contrahi nequit uterus. Non autem fieri poteſt fœtus eductio, niſi dilatetur os uteri, undè multùm periculi : tùnc tali methodo tentanda, quæ ad partum naturalem propiùs accedit ; igitur immiſſis duobus vel plurimis digitis, gradatim & leniter, uteri orificium dilatetur, ruptiſque membranis pedibus arreptus educatur infans. Illa eductio rarò locum obtinet ante tertium menſem ; utero tunc magis connivente, ſæpè & altiùs poſito, ità ut tangi nequeat digitis, nequè fœtus ob mollitiem corpuſculi teneri poſſit. Melius in illo caſu totum opus naturæ committere.

Claudite jam rivos pueri, ſat qrata biberunt.

FINIS.